


U m  
1582



65 JOHANNIS ELERI <sup>N. 1.</sup>


ULYSSEI, PHILOSOPHI

AC MEDICI

Libellus

De

PARTU.



LUNÆBURGI

JOHANNIS & HENRICI Sternens

Typis excusis.

---

ANNO MDCXXVI.

Vm 1582

JOHANNIS ELLER  
MAGISTRI, PHILOSOPHI  
AC MEDICI  
Libellus

PARTU.



VOER. BIOL  
DER  
UNIVERS.  
HALLE.

LINBERG  
JOHANNES HERRSCHER  
Typis excudit.

ANNO MDCXXVI





MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AM-  
plissimis, & Prudentissimis  
VIRIS

Dn. GEORGIO à DASSELN.

Dn. LEONHARDO ELVERO J.V.D.

Dn. STATIO TÖBINGIO.

Dn. FRANCISCO VVITZENDORFIO.

Dn. HARTVVICHGO TÖBINGIO.

Inclytæ Reip. Lunæburgensis Consulibus, cæterisque  
ejusdem Reip. Senatoribus Honoratissimis,  
Dominis meis ac Fauto-  
ribus S.



UÆ potissimum causæ  
sunt, Viri Magnifici,  
Nobilissimi, Amplissi-  
mi, & Prudentissimi,  
ob quas literarum periti lucubra-  
tiones suas viris principibus, &

A 2

magi-

DEDICATIO.

magistratui consecrare debeant,  
Honor scilicet & Amor. Honorem  
magistratui debemus. Amore sub-  
ditos ille profequitur, si præscri-  
ptas majorum leges, si principum  
placita, si magistratus edicta ob-  
servent. Ille autem subditis magistratui  
jure defertur, & datur. Hic, supra  
quam cuiquam credibile, in sub-  
ditos pronus, & proclivis est. Ho-  
norē magistratui debere, præter-  
quam quod sacræ literæ jubeant,  
Ethnicorum etiam scripta atte-  
stantur. Hinc Bruti, Camilli, De-  
cij, Curij, Fabricij, Maximi, Scipio-  
nes, Lentuli, Æmilij in Deorum  
immor-

DEDICATIO.

immortaliū coetu & numero po-  
fiti sunt. Amarunt siquidem pa-  
triam, consuluerunt bonis, præ-  
sentes fructus neglexerunt, poste-  
ritati & gloriæ servierunt, ut in  
Oratione pro Sestio, eloquentiæ  
illud lumen, M. T. Cicero dicit.  
Amor autem ultro subditos sequi-  
tur, si quilibet cujuscunque etiam  
ordinis sit, mandato munere,  
quoad potest, diligentissime fun-  
gatur, & debitam Magistratui ob-  
edientiam præstet. Testantur il-  
lum majorum studia, cure, sollici-  
tudines. Sudant enim sæpe qui  
magistratum gerunt, pro com-  
muni-

DEDICATIO.

munibus commodis inimicitias  
adeunt, tempestates quasvis pro  
Rep. subeunt, cum multis audaci-  
bus, improbis nonnunquam eti-  
am potentibus dimicant, eodem  
Cicerone teste. Quæ mecum ani-  
mi lance cum perpenderem, non  
tantum non satis duxi, obsequio  
M. V. colere; sed exemplar ali-  
quod delati honoris, quod depo-  
ni posset, & absentis etiam memo-  
riam refricare, amplitudini & im-  
mortalitati nominis vestri dicare.  
Etsi autem honor, qui ex dedica-  
tione hac proficisci potest, tantus  
non est, ut M. V. laudibus aliquid  
adde-



DEDICATIO.

addere possit ; luculentissimum  
tamen indicium esse arbitror, me  
nimium quantum, augere illas  
velle. Quare, viri nobilissimi non  
diffido, vos, pro singulari vestra  
prudencia, voluntatem lauda-  
turos, licet vires defuerint. Ne-  
que vero de amore & vestra erga  
me animi affectione, quæ mihi  
satis cognita, perspectaque, du-  
bito ; sed obsequium, quod mihi  
incumbit, declaratum magis vo-  
lo. Quamobrem etiam, hoc ipso  
denuo promitto, & polliceor, vi-  
ri nobilissimi, nullo non tempo-  
re, quicquid in me est, quamvis  
exi-

DEDICATIO.

exiguum id, promptum vos habituros, paratumq;. Valete. Ego, ut Rempubicā hanc multa in secula, felicissime gubernetis, DEUM jugiter precabor. Ex Musæo meo. Calen. Julij ANNO 1626.

M. M. & A. A. V. V.

*Officiosus. colens*

JOHANNES ELERUS.

Pro-



## Prooemium.

**N**ATURÆ, rerum omnium parentis opera omnia considerationis, & admirationis plena esse, nemo mortalium, cui in corpore sano mens sana, inficiabit. Nam si quis latissimum, ac spatiosissimum Naturæ campum ingrediatur, oculisq; suis usurpet, quæcunq; illic è fœcundo ac fertili suo sinu, ceu refertissimo penu protulit, innumera infinitaq; illi occurrent, & in conspectum sese dabunt, quorum ingenti rapietur admiratione. Maxime verò cum nullas multorum causas rationesq; (dicitur causa, cur hæc herbula viridis sit, & quinque foliorum, ille flosculus luteus, & corollæ instar) invenerit, quantumvis sagaci præditus sit ingenio. Etenim & minutissima, & abjectissima quæq; divinitatis non nihil præ se ferunt. Taceo ipsam hanc mundi machinam, quibus illa fulcris, seu columnis innititur? Quis tandem ille Atlas, qui illam humeris impositam suis sustentet, ut Poëta nugantur? Prætereo splendidissima illa mundi lumina, eorumq; ducem ac gubernatorem, Solem dico, quis unquam huius annum cursum, reditum scilicet: & abitum, illorum vero convolutiones concursusve cogitatione comprehendit? Silentis involvo ἄνεμα illud ἡερμάτων hominem, μικρότερον illum, quem adhuc num nullus Anatomicorum, licet sit magna illorum cohors, penitus totum introspectit, ejusque mirandam fabricam plenè indagavit. Quis unquã vel Aristoteles, vel Plinius, tam felici fuit memoria, qui multiplices, & varias animalium terra reptantium, & viventium, qui piscium natantium, qui volucrum volan-

B

volan-

P R O O E M I U M.

volantium species enumerare, ne dicam explicare potuit? Quinam Dioscorides herbarum vires satis digne descripsit, immo vel admiratus, prout debuit, satis fuit? Tot tantaque natura sunt miracula contemplanda oculis, & mente volvenda homini proposita, cum tamen vix millesima hominum pars per omnem aetatem hac admiretur, nedum cognoscat. Unde saepius mirari subit, quid illis in mentem venerit, qui muros Babyloniae, qui Colossus, qui Pyramides, qui Mausoleum, qui Dianae templum, qui Jovem Olympicum, qui Pharum in miraculorum numerum retulerint, cum istae humanis ingenijs excogitatae, & fragili manufactae sint. Immo magis admirari cogor tot homines olim nec sumptibus pepercisse, nec itineris difficultate & periculo deterreri potuisse, quo minus illi conspicienda ista proficiscerentur, cum interea tot vera miracula verbas scilicet: animalcula pedibus conculcent, vanorum amore deliniti. Quanto melius & sapientius nos facturi, qui cum Philosophis & Medicis admiranda natura miracula, & in illis nunc potissimum Partum, plenum illud admirationis Naturae opus perscrutari animam induximus. Arduum hoc quidem, ac difficile opus est, attestantibus cunctis matribus, at longe magis arduum ac difficilius arbitror, stylo illud persequi, atque tot Philosophorum opinionibus involutam & intricatam veritatem, praesertim de diversis partus temporibus, liberam, expeditamque in medium proferre. Ut autem foetum, propter difficilem partum matres in utero mori ac computrescere minime sinunt: ita quoque tam utilem rem scitu, docti viri intactam & inexplicatam derelinquere non ausi fuerunt. Aggrediamur igitur cum bono DEO opus hoc, nulla deterriti difficultate, partumque quantum ingenium nostrum tenuitas permittit, dilucide exponamus.



## C A P U T I.

*Quid Partus, quid item abortus, quid effluxus.*

**D**isertissimus Romuli nepotum Cicero primo Officiorum, vult, omnem cujusque rei tractationem, ab ipsi<sup>9</sup> definitione initium sumere, quò intelligatur id, de quo Oratio instituitur. Sic enim ait: *Omnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur.* Hujus itaq; vestigijs insistentes, definimus Partum, quod actio sit, qua perfectus, & numeris omnibus jam absolutus foetus, in lucem prodit, & excluditur. Definitio hæc ut dilucidior fiat, sic eam declarare operæ precium arbitror.

Nomen Partus Græcis τόνος dicitur, atque id interdum pro ipso foetus conceptu, seu embryone, usurpatur, ut apud Plinium: *Ceteris animantibus statutum pariendi, & Partus gerendi tempus est: homo toto anno, & incerto gignitur spatio.* Interdum vero ut apud Hippocratem sæpe, pro ipso foetu dudum, vel pridem in lucem edito. Nos Partum nil nisi ipsum actum, quo formatus, & firmatus in utero foetus editur, significare volumus. Actionem præterea diximus esse. At cujusnam? uterinæ solius, an infantis? Utriusq;, quod verbis ultimo loco positus, (*prodit scilicet: & excluditur*) innuimus. Nam & infans ute-

ro gestatus, dum accrevit, contineri amplius tanta loci angustia nequit, tum itaq; liberiolem ac copiosioreni spiritum, quam transpiratio suppeditat, ducere necesse habet, abundantioreni quoq; alimoniam, quò plenius nutritur, poscit & flagitat. Horum omnium inopia impulsus infans calcitrare incipit, atq; cuticulas, quibus inclusus, & ligamentis, quibus annexus manibus pedibusq;, quantum ipsius teneritudo potest, dirumpit, dum lucis hujus usura & vitæ commodis fruatur. Et uterus actum hunc promovet, quia grandior, ac gravior fœtus factus est, quam sustineri queat ejus moles, & pondus, tum excrementa nimium aucta, ceu vi prorumpunt. Quapropter ille reconditam sibi, & innatam expellendi virtutem exferit, atq; fœtum magno conatu, sibi ipsi quasi opitulans, excludit. Denique perfectum & numeris omnibus absolutum addidimus, qua φεράσει partum ab abortu, & effluxu differre volumus. Nam licet infans format<sup>9</sup> quidem prodeat, qualis est, qui quarto mense prodit, at si nondum omnium partium soliditatem, robur, atq; perfectionem adeptus sit, partus nomen nondum meretur; sed abortus, qui Græcis διαφθορά, ἀμβλώσις, διαφθορά, ἐκτρώσις, ἐκβολός, ἐκτρώμα nominatur. Est vero Abortus, fœtus formati quidem, at immaturi editio, aut ejusdem in utero interitus. Etenim non tantum immaturi fœtus exclusio abortus dicitur; sed ejusdem extinctio, hoc etiam nomine indigitatur, quod Hippocrates primo γυναικείων νόσων lebat inquitens: ὅταν ἡ γυνὴ ἐκτρώσκει, καὶ τὸ παιδίον μὴ ἐξίη, id est,

ἐκτρώμα

*cum abortit mulier, & puer non exit.* Unde videre licet fœtum in utero gestari posse multos annos, quod præter alia, mirum illud & portentum plenum exemplum testatur, embryonis in utero viginti octo annos gestati, & interea illic in petram concreti, quod literarum monumentis Johannes Albofius scriptum reliquit. Effluxus Græcis *ἐκποσις*, genituræ est antequam forma ei imprimatur, excretio seu corruptio. Nam multiplices ob causas concepta semina, præcipue vero vehementem motum excluduntur, & uteri intemperiem corrumpuntur, & fœcunditate sua privantur.

## CAPUT II.

### PARTUS DIFFERENTIÆ.

**Q**UONIAM vero sæpius accidit, ut admirationis plenum hoc opus non uno eodemque modo sese habeat, nec eodem tempore, sed alias citius, alias temporius contingat, partus etiam alius naturalis est, alius non naturalis: alius legitimus, alius illegitimus. Partus qui ex naturæ est præscripto, hunc in modum cœpit: Fœtus grandior factus, copiosiore (ut ante diximus) egens alimento & spiritu, diutius concludi haut patitur. Proinde primum sese convolvit, caputq; declinans pudendo offert, crura ac reliquos artus in sublime distendens. Hoc ipsum nonnunquam molitur, ante partus actum uno mense. Dum autem sic se invertit, nihil defringit, quod

laxior sit umbilicus, duos plerunq; cubitos longus, multis modis & involucris foetum praecingens. Sed si quis a nobis hic quaerat, cur haec figura & forma secundum naturam sit, & cur infans hoc pacto exire contendat, huic summi illud Hippocratis responsum damus: *βαρύτερα γὰρ εἰσιν αὐτῶ τὰ ἄνω, ἢ τὰ ὀμφαλῆ σαθράμενα*, id est, graviora sunt superiora (scil: pueri) ex umbilico (appensa &) ponderata. Itaque celerius volvitur & prodit, quia quæ graviora deorsum vel sua sponte tendunt. Præterea *τὰ συγκυμπτόμενα τῆ σώματος ἐπὶ κεφαλὴν ὁ ὑποκωλύει ἴοντες τῆ παιδὶς, ἀλλὰ μᾶλλον ὅταν ἐπὶ πῶδας ὀρμήσῃ, τὰ ἐμφάγματα γίνονται*. i. est, flexiles corporis partes, puero capite exitum molienti non sunt impedimento, sed si pedibus prodire cupiat, obturamenta contingunt. Brachia scil: extendi possent, & reliquo corpori aditum præcludere. Instante jam partu, ille calcitrans primum amnion membranam crebra manuum pedumque compulsionem dirumpit, ac dum miscetur urina foetus sudori. Posthæc vero majori impetu se convolutans plurima acetabula dissolvit, quo tempore mater ventris torsiones experitur, defluitque sanguis in uteri capacitatem. Postea vero secundæ ab acetabulis evelluntur, & reliquæ discerpuntur membranæ, ac tum aquæ ex utero defluunt: cumq; nihil amplius hæret, foetus excidit ceu maturum malum ab arbore soluto sponte pediculo. Hæc quidem foetus molitur, at nondum naturalis partus est, nisi uteri quoq; opera ipsi respondeat. Uterus itaque qui novem continenter mensibus tota cervice connixerat, foetū avide



de comprehendens, tum os paulatim aperit, ac primum quidem ita diducit, ut obstetricibus minimum in id digitum immittere liceat, de hinc vero amplius, ut obstetrices allanto<sup>idem</sup> tunicam, & quas vocant aquas ori obvias percipiant. Ab his vero ore ad foetus prolapsionem satis patente, universus uteri fundus, quam proxime potest ad os se contrahit, foetumque foras propellit: cui & aliae quae circumstant partes suppetias ferunt. Ipsa quoque mulier non mediocriter sibi ipsi opitulans, & viribus connititur ad foetum strenue excludendum, contractis contentisque his qui in abdomine sunt musculis. Foetus in os uteri delapsus, capite corpori viam parat, seque foras dat per lubricam cervicem, ut quam copiosus effluens humor perfuderat. Multa igitur in tam difficili arduoque opere conveniunt, foetus, mulier, & uterus, quem Fernelius ait se vidisse aliquando tanto impetu foetum extrudere, ut simul foras excideret. Ita quidem ex naturae praescripto paritur infans, mas quidem facie ad matris podicem, foemina vero ad partes obscenas conversa, tum quia in utero contrarius illis situs erat, tum etiam (quam moralem causam nos addimus,) quia honestas ab ipsa infantia & nativitate adolescentum oculos ab obscenis mulierum partibus abstinere voluit, contra quam pro dolor impudici, & perfricta fronte fornicatores faciunt. Non naturalis partus est, si vel in uno horum, vel omnibus peccetur, & error committatur.

## CAPUT III.

*Quo pacto os uteri tantopere dehiscat, ut per id foetus elabatur.*

**N**ECDUM ab arduo & mirando partus opere digredimur, sed exponendum hic apprimè necessarium & utile censemus, quoniam pacto uterus, qui tanto temporis spacio, ita arctè connivebat, ut ne specilli quidem cuspidem admitteret, jam sic dehiscat & laxetur, ut infantem, vel grandem etiam dimittat. Equidem sint miranda naturæ opera in embryonis vita & nutritione; at hoc omnem admirationis modum superat, quod uteros, post maris ac foeminæ seminum comprehensionem, primumq; conceptum ita occlusum, jam patentissimo ostio hiscat. Quis illius repagula retraxit? Quis aperuit? Quis, aut cuius opera patet? Galenus qui in rationibus inveniendis alias promptus, hoc se nescire ait, nec aliud quippiam, quam admirari posse ingenue fatetur. At vero quoniam nihil sine medio natura aggreditur, quodnam illud potissimum sit, ne nos lateat, diligenti inquisitione opus est. Uterus, foecundus ille procreationis nostræ hortus, in coxarum capacitate situs, pectinis osse anteriori parte, osse sacro & coccyge posteriori, utrinq; vero ilium ossibus, quasi vallo munitur. Ossa isthæc, cum per *συνάρθρωσιν* compactam scilicet, & immobilem articulationem, & *σύνφυσιν*, ut pubis, committantur, haut immerito aliter, quam multi sentimus, illa nimirum in  
partu

partu nullatenus distrahi. Namq; quæ tanta tenelli foetus vis esse potest, quod robur, quæ tam firmiter compacta & invicem sibi adnata ossa divellat? Sed fac ita esse, quo tandem medio rursus connectentur? quo glutine unientur? an forte quis tam audax, qui novam synchondrosin fingat? Quod si verò quis aliquantulum dehiscere illa putet, non usq; adeo ipsi adversabimur, cum & hoc libro de natura pueri Hippocrates ipse opinetur. Nec est quod Pineus scribit, quod mucus seu humor quidam paulo ante partus tempora ex utero defluat, ad cartilagineas, & ossium pubis vincula oblinienda, nequaquam enim humor iste pubis ossa pertingit. Sed si quid super hac re certi constituere, seu concludere hominis ratio possit, illud erit quod sensu à multis comprehensum, coccygem scilicet totam retrahi, atque exeunti foetui amplius concedere spacium. Unde etiam, non de osse pubis; sed coccyge, & podice puerperæ conqueruntur. Et ut dicamus quod metipsum aliquando vidimus in partu, immota nempe pubis ossa manebant, podex vero vehementer comprimebatur. Valeant igitur cum sententijs suis aliquo pietatis peplo contactis Avicennas, & Zoar Rabbi Simeonis Ben in primum caput Exodi, quarum illius hæc est:

*Quando separatur foetus, aperitur uterus apertione tali, cuius similem efficere non valet in alia hora, & necessarium est ut separarentur quædam junctura, & sustententur adjutorio DEI excelsi preparante vel disponente ad illud, deinde revertente eas ad continuationem naturalem; & est operatio illa validissima*

C

*sima ex natura operibus. Hujus verò, quæ ita habet: Haut facile quicquam aliud magis mirandum in rerum natura reperies, quam distinctionem illam ossium pubis, quæ fit in parturientibus magis naturæ præsidio, seu providentia DEI, cui natura ipsa ministrat. Etenim nulla fieri posse quantumvis validissimâ vi, & nixu, sicut nec in cornibus cervorum, quæ quotannis decidunt, & denuo renascuntur.*

## CAPUT IV.

### *Altera Partus differentia.*

**P**ROGREDIATUR jam oratio nostra ad alteram partus differentiam, eamq; quam potest brevissime recitet. Partus aut legitimus est, aut illegitimus. Partus legitimus est, quum justo & suo tempore foetus prodit, septimo videlicet, nono, decimo & undecimo mense. Illegitimus contra, qui aut ante, aut post diem destinatum contingit. Octimestris illegitimus est, quia vel septimestrem retardat, vel nonimestrem infelici successu antevertit, legitimum enim pariendi tempus in communi hominum natura nonum mensem esse constat, secundum obtinere locum decimum, & post hunc septimum. Sed cum hæc, quam ut recte intelligi queant obscuriora sint, necessum est ut capitibus aliquot dilucidiora fiant, & in claram lucem proferantur.

## CAPUT V.

### *Septimestris partus vitalis, legitimus.*

TEM-

**T**EMPORUM Partus superiori capitulo mentionem fecimus, at quot, & quænam illa nondum explicuimus. Res est non levis momenti. Nam & Medici, & Philosophi illustres, de tempore humani partus quæ si-  
 verunt, ποσος ὁ τῆς τῶν ἀνθρώπων κνήσεος χρόνος, id est, *quantum est hominum gestationis tempus*. Princeps Philosophorum Aristoteles cunctis animantibus, certa pariendi tempora, certasq; & præfinitas gestandi foetum periodos à natura constitutas, at uni & soli homini incertum esse pariendi tempus, vt omnia, præclare literis prodidit. Elephas secundo parit anno. Equa nono mense foetum in lucem edit; canis quarto; columbæ domesticæ singulis. At homini puerperij tempus varium, indefinitumq; septimus sc: octavus, nonus, decimus & undecimus mensis. Varietati huic testimonium dant mulierculæ, quibus facile fidem nostram commodamus, cum solè hoc experiantur; præterea gravissimorum hominum autoritas, vtpote Hippocratis, Galeni, Plutarchi, Aphrodisæi id comprobant, Romanorum quin etiam legibus sancitum est, Varietatis hujus causas infra peculiari capite explicabimus. Septimus mensis homini primus est pariendi terminus, nec ante vitalis foetus editur, quicquid de semestri Ægyptiorum, & Naxiarum partu fabulentur Poëtæ. Nec Mercatum audimus, qui quinto mense in fantem robustum prodijisse ex aliorum sententia refert, cum nat<sup>o</sup> sexto vix superare possit. Partum septimestrem legitimum esse ac vitalem, docet his verbis Hippocrates; παιδίον ἐπὶ ἑπτὰ μην-

υον γόνον γενόμενον λόγω γέννηται, κ' ζή, id est, *Puer septimestri partu  
 natus, & pro ratione editus est, & vivit.* Affirmant Aristo-  
 teles libro de natura animalium, & in problematibus Aphro-  
 disæus. Comprobat Galenus lib. de septimestri partu. Con-  
 stitutum habent Romanorum leges Hippocratis auto-  
 ritate. *Septimo mense,* Iustus Paulus inquit, *nasci partum  
 perfectum jam receptum est, propter autoritatem doctissimi  
 viri Hippocratis, & ideo credendum est eum, qui ex justis nu-  
 ptijs septimo mense natus est, justum filium esse.* Id quod &  
 Ulpianus confirmat, in l. 3. §. ult. de suis & legit. hæredibus. Et  
 Paul. tit. 9. lib. 4. Receptar. sentent. Narrat Plinius lib. 7. cap. 5.  
 quod Sempronium & Corbulonem Vestilia C. Herdicij,  
 ac postea Pomponij, atque Orfiti clarissimorum civium  
 conjux, in lucem septimo mense, Cæsoniam Caji princi-  
 pis conjugem octavo, Suillum Ruffum undecimo pro-  
 tulerit. Quod si quis forte contrarium velit, & minime  
 hunc partum sospitem dicat, (sunt enim qui septimo  
 mense editi subito moriuntur) consideret is velim, men-  
 sium latitudinem, tum ipsius sententiæ haut inviti sub-  
 scribemus, si nimirum initio hujus mensis nascatur, cum  
 imbecillis admodum est foetus, & vix vitam vivit. Hinc  
 dicebat Hippocrates, quæ centesimo octuagesimo se-  
 cundo die, cum diei particula parerent, imbecilles pare-  
 re. Accedit & hoc quod septimo mense uteri latebris  
 abditum prodit, aut masculus erit, aut foemella. Ille  
 cum celerius formetur, moveatur, perfectionemq; suam  
 adipiscatur, septimo mense prodibit, & vitalis erit. In  
 hac

hac autē cum tardius & segnius fiant, vivit illa quidem: at diutius superstes esse non solet. Quæ cum ita sint, ut summorum virorum autoritas probat, & experientia testatur, septimus utique partus vitalis & legitimus erit. Quod autem Plinius dicit septimestrem vitalem haut esse, nisi pridie posterove plenilunij die, aut interlunio concepti nascantur, commentitium esse arbitramur.

## C A P U T VI.

*Octimestris nec vitalis, nec legitimus. Pythagoricorum & Arithmeticorum opinio, & quid nos de numeris sentiamus.*

**S**ED quid de octimestri partu dicemus, vitalisne? minime. Legitimusne? non sane. Quia suo tempore non contigit. Abortus ergo? ne hoc quidem. Quid tandem! Responsum Hippocratis damus: *ὄκταμηνον γενόμενον ἔδεν βιοῖ πῶποτε*, id est, *Octavo mense editus nullus unquam vivit*. Et Partus ducentorum quadraginta dierum *ἔκ ἐστ, καὶ ἔστ*, id est, *non est, & est*. Hoc tam obscure, atq; præcisè, tamq; adversè dictum, Sabinus Medicus, qui Hippocratem commodissime commentatus est, his verbis enarravit: *ἔστ μὲν φαινόμενα ὡς ζῶα μετὰ τὴν ἔκτρωσιν, ἔκ ἐστ δὲ ὡς θνήσκοντα μετὰ ταῦτα, καὶ ἔστν ἔν, φαντασία μὲν ὡς ζῶα ὄντα, δυνάμει δὲ ἔκ ἐστ, ἢ est*, apparent quidem velut animalia post abortum, sed nequaquam sunt, quippe quæ statim vita excedant. Itaq; esse quidem tantisper imaginantur, sed potentia non sunt. Octimestrem esse inter alios M. Varro testatur. Nam mense octa-

vo editum nonnunquam esse Partum, *in libr. 14.* rerum divinarum scriptum reliquit. In Ægypto, ubi potu foetifer Nilus, & Hispania, & Italia Plinio teste, ubi cœli ac soli clementia multos octavo mense natos vitales perhibent, & Asclepiades scribit, Naxias mulieres edere partus octimestres vitales: at hæc rara sunt, & vt Philosophi loquuntur, præter naturam universalem. Adde quod multæ putent, se mense octavo parere, cum verè nono pepererint, decipiuntur enim sæpius in seminis conceptione, ubi varij errores, affirmante Aristotele contingere possunt. Sunt etiam, quibus secundo mense, post concepta semina menstruus fluit sanguis, quæ cum haut concepisse opinentur, jam pridem concepere. Verum enim vero, quæ causa, quod Octimestris vitalis haut sit? Quodnam illi infortunium obtigit? Quid aduersi? Hoc opus, hic labor est, illud rectè exponere, in hoc tot laborarunt Philosophorum Sectæ, quot pene unquam fuere, & licet omnem suam diligentiam, laborem, studia, curas & cogitationes in eo Pythagorici, Arithmetici, Astrologi, Geometræ consumserint, tantum tamen abest, vt veritatem invenerint, vt ijs fidem denegemus, omniq; conatu refellamus. Pythagorici, & Arithmetici ad numeros omnia referunt. Etsi enim triplex ab illis rerum ordo statuitur, specierum, figurarum, & numerorum, cæteris tamen postpositis, numeris primas deferunt. Quid, ergo de numeris dicant, audiamus.

Ex numeris alios pares, impares alios esse dicunt. Pares  
foe-



foeminas, impares vero mares nominant. Illos, imperfectos, dividuos, in foecundos: hos perfectos, individuos, foecundos, atq; ob id principij rationem obtinere arbitrantur. Nam ex duobus imparibus, par numerus generatur, quare foecundus; at pares imparem non generant, quare infocundi. Inter impares autem omnem reliquis laudem septimus præripit, primumq;, ac summum sibi locum vendicat, ejusq; tanta fuit majestas, vt veteres illum venerandum, & sacrum appellare haut veriti sint. Sapientissimi Ægyptiorum sacerdotes, & Indorum Magi septenarium majoris, minorisq; mundi numerum vocarunt. Et sane septenarius inter eos, qui intra denarium sunt, aliquam habet præ cæteris prærogativam, quia nec gignit, nec gignitur. Unitas non gignitur; sed gignit binarium. Quaternarius gignit, & gignitur. Octonarius gignitur, non gignit; at solus septenarius ἔτε γεννᾶν πέρφικεν, ἔτε γεννᾶσθαι, id est, *neq; gigni potest, nec generandi vim nactus est.* Quid inde? Quid? annon quod nec gignit, nec gignitur immotum manet. Quicquid autem immotum est, perfectitudinis, & divinitatis particeps est. Pythagoræ filij septenarium, vt humanæ vitæ vinculum, & nexum dilaudarunt, hinc M. Tullius Cicero, septimum numerum omnium rerum Nodum dixit. Theologi septenarium perfectionis numerum nuncupant, quandoquidem septimo die omnia DEI opera perfecta & absoluta fuisse sacræ literæ docent, eundemq; numerū quietis, ultionis, poenitentiae, beatitudinis septenarium dicunt.

Mit.

Mitto quod septem sint mundi miracula, & olim septem fuere sapientes. Prætereo quod idem ille numerus, septentriones majores & minores in cœlo fecerit: quod septem circulis cœlum cinctum sit: quod septem habeantur stellæ errantes. Sileo septem vocis mutationes, septem ætates, septem ostia Nili. Taceo septem metalla, septem artes liberales, septem arcis Pallados fenestras. Miror hoc, marem, septimum numero, scrophulas persanare, & foeminam, septimam numero, partum juvare. Nil dicam de heptaphyllo, quod venenis resistat; sed omnia hæc lubens silentijs involvam, cum numerorum, etiam prætextu, nescio quæ tandem nugæ circumferantur. Quinetiam Hippocrates Octimestres ideo vitales non vult, quia plenas septimanarum decadas non expleverunt, septimestres vero vitales, quia justum & plenum septimanarum numerum sunt consequuti. Nos vero cum Aristotele in Metaphysicis, numerum per se agendi vim nullam habere pro certo habemus; at ratio numeri, quæ veluti forma quædam est numeri, mira præstat. Unde sacra etiam scriptura dicit: *Omnia in mensura, numero & pondere disposuisti.* Legitimus vero idcirco haberi nequit, cum octavus mensis inter legitima pariendi tempora non numeretur. Icti etiam legitimum non habent, ut apud Treutlerum *volum. 1. disp. 2. de jure & statu personarum* videre est, qui ita scribit: *Quod si tamen partus octavo mense natus, sit vitalis, communis & Philosophorum & Medicorum sententia, eum legitimum non esse. Finge ergo virum jam diu ab-*  
*fuisse,*

fuisse, & domum reversum, ibiq; triduum commoratum esse, postmodum recessisse iterum, si mulier intra octavum mensem pariat, & filius vivat, à marito conceptus non creditur. Menochius casu 89. num. 38. ubi tamen monet, magnam in hoc casu iudicis scientiam requiri, ut consulat Philosophos & Physicos. Ita statuunt Gellius 3. Noct. Attic. 16. Plut. lib. 5. de placitis Philosophor. cap. 18. Curt. junior. Cons. 319. num. 17.

## CAPUT VII.

*Octimestris Partus nec Astrologis vitalis est, eorum opinio, & opinionis ejusdem confutatio.*

**Q**UANTO pluribus, & densioribus, quam in manu versamus questio tenebris & obscuritatibus, involuta est, tanto equidem credo plures ingenio & doctrina excellentes in eam se immiscuere, atq; in ejus veritatem, quæ sicubi ex Democriti sententia, in profundo puteo lateret, mentis indagine inquirere voluerunt. Re itaq; ad Astrologos, & Genethliacos delata, non sibi defuerunt, nec, quem triumphum & gloriam nancisci inde poterant, alijs reliquerunt. Quapropter ad astra confugerunt, atq; septimestris, octimestris, nonimestris Partus causas ad varios aspectus referentes hæc commentati sunt. Cuilibet mensi aliquis Planetarum præest. Primo quidem Saturnus, qui sua frigiditate & siccitate liquidum humidumq; semen retinet, cogitq; ad conceptionem. Secundo Jupiter, qui suo tepore, & calore vitali incrementum præbet. Tertio Mars, qui calore & sicci-

D  
tate

tate membra jactare incipit. Quarto Sol, qui ingenti calore, meatus omnes reddit ampliores. Quinto Venus, quæ decorem, venustatem, & gratiam puello conciliat. Sexto Mercurius, qui motus organa perficit, politque. Septimo Luna præest, quæ vacua fibrarum spacia, carne & adipe implet, uteriq; osculum humiditate sua, ad facilem partum reddendum, relaxat. His Planetarum muneribus ornatus foetus, si septimo mense uteri claustrum perumpit, vitalis prodit. Quod si ob imbecillitatē, ab uteri latebris tunc exilire nequeat, revertitur maleficus ille Saturnus, principiorum vitæ adversarius, cujus dominatu vel potius tyrannide, captivus tenetur infans. Quare si eo mense prodit in lucem, confestim moritur, quippe qui vitali calore destitutus est. Adde, quod tam subitum à Luna ad Saturnum, quasi ab imo scalæ gradu ad supremum, adscensum ferre ac pati infans non possit. Omnis namq; subita & repentina mutatio naturæ inimica est. Quod si octavum mensem effugiat puer, accedit post Saturnum beneficus Jupiter, cujus prospero & salutari aspectu cuncta Saturni maleficia abiguntur. Itaq; nono mense vitalis editur, vt & decimo, & undecimo, ob Martis & Solis cum vitæ principijs adfinitatem. Hæc Astrologorum est de Partus causis elegans quidem, & speciosa, at erroris plena opinio, cujus vanitatem convellere, non est difficile. Quomodo enim fieri potest, vt primo & octavo mense semper præsit Saturnus, cum anno quolibet, quolibet anni tempore, qualibet die, & hora mu-

lier

lier concipere possit? Quamobrem quicquid de malefica Saturni natura hoc in opere commententur, falsum merito habetur.

## CAPUT VIII.

*Octimestris Partus nec Geometris vitalis est, eorum opinio, ejusdemq; opinionis confutatio.*

**Q**UINETIAM Geometrae rogati αὐμβροί esse noluerunt, quare, ne quaedam illis posset objici ignorantia, Partus causam ad conformationis ac motus causam retulerunt. Duplicem namque conformationis ad motum, & triplicem motus ad Partum proportionem statuunt, quam si observet embryon, vitalis nascitur. Sic septimestres ideo sunt vitales, quia trigesimo quinto conformantur, septuagesimo moventur, decimo & ducentesimo prodeunt. Posset hæc opinio Hippocratis auctoritate confirmari. Nam sectione tertia libri 2. Epidemiorum scribit: quicquid in septuaginta movetur, ἐν τριπλασίῳσι τελείεται, id est, *in triplicitatib: perficitur*. Verum opinio hæc facile confutatur. Si enim sola hæc conformationis motus & partus proportio vitalis partus causa esset, Octimestres non minus, quam septimestres vitales ederentur; quia eandem servant proportionem. Demus gratia exempli, quadragesimo die conformari puellum, movebitur is octogesimo, & ducentesimo quadragesimo die prodibit in lucem; exquisita erit in hoc partu proportio; quia bis

quadraginta conficiunt octoginta; ter octoginta, ducentos, & quadraginta dies efficiunt. At libello *περὶ τοῦ φῆς*, partus ducentorū & quadraginta dierum, quem omnes octimestrem interpretantur, est & non est. Hippocratis auctoritas sententię huic non adversatur. Neq; enim unquam Hippocrates voluit proportionē hanc vitalis partus causam esse, sed simpliciter & absolutē certam esse conformationis motus & partus proportionem enunciavit, quod nemo inficiabitur.

## CAPUT IX.

*Octimestris Partus nec Medicis, nec Philosophis vitalis, eorum opinio, ejusdemq; assertio.*

**S**P EC IO SA quidem erant, & veritatem non nullam præ se ferebant, quæ supra attulimus argumenta, at vero à nobis probari, ac recipi nullatenus potuerunt. Namque nec Medicorum sensibus observata unquam fuere, nec solida Philosophorum constabant demonstratione. Quocirca haut immerito veritatis amore deliniti, isthæc pro viribus confutavimus, illisq; sua deliramenta potius, quam argumenta reliquim<sup>9</sup> Physicorum ac Medicorum rationes in medium prolaturi. Natura licet *ἀπαίδευτος, καὶ ἄμαθιστος*, certas habet leges, quas ipsa sibi imposuit, definitas habet motiones, quas sine inconstantia, & ordinis mutabilitate semper exequitur, nisi ab interno aut externo aliquo impediatur principio. Ut enim perfectas crises nunquam molitur, nisi coctus & præparatus

ratus

ratus fuerit humor; ita nullam foetus exclusionem legitimam unquam aggreditur, nisi perfectus, & numeris suis omnibus absolutus fuerit puellus. Et quemadmodum in cruditate, nulla crisis bona apud Hippocratem speratur; ita ante perfectionem foetus, vitalis nullus, & legitimus edi potest. Est enim Partus apud Galenum, veluti quaedam Crisis. At ante septimum mensem perfectus esse nequit. Nullus itaq; ante septimum mensem vitalis Partus editur. Septimo autem mense si validus sit, membranas disrumpet, & exitum sibi parabit, eritque superstes, quia perfectus, praesertim si fuerit mas. Octavo mense, licet perfectus sit, vitalis esse nequit; quia duas afflictiones sibi invicem succedentes ferre non potest. Septimo enim mense plurimum colluctatus est, nunc eundem conatum repetit, nondum relictis viribus. Haec Hippocratis est, statim initio libri de Octimestri Partu, sententia: *περὶ δὲ ὀκτὰ μῆνας γενέσι φησὶ, διασαίεφελος κακοπαθείας γενομένης ἀδυνατὸς εἶναι ποιεῖν φέρειν τὰ παῖδια, καὶ διὰ τὰς ἐπιγίνεσθαι τὰ ὀκτὰ μῆνα, i. est, de Octimestri Partu sic sentio. Non posse puerulum duas sibi invicem succedentes afflictiones ferre, ideoque octimestres superstites non manere. Ipsos namq; bis affligi, & cruciari contingit, dum ad mala quae in utero perpessi sunt, partus etiam dolores accedunt. Quinetiam octimestris vitalis non est; quia venit post diem partus, qui septimestris esse debebat, ante diem vero illius, qui nonimestris erat futurus. Unde sinistri aliquid, aut foetui, aut matri contigisse existimandum est, quod vel septimestrem par-*

tum tardarit, vel anteverterit nonimestrem. Quo spectat illa divini Senis sententia: οἷσιν ἔδεν ἔσω τῶ τεταγμένῃ χρόνῳ συμβαίνει, ἐκείνησι τὰ πηλόμμενα ἀπόγονα γίνεταί, id est, *Quibus nihil accidit intra præscriptum pariendi tempus; quicquid omnes pepererint, erit vitale.*

## CAPUT X.

### *Cætera pariendi tempora.*

**S**EPTIMUM mensem primum esse Partus terminum, partumque septimestrem vitalem & legitimum esse abunde supra exposuimus, ut illud etiã, quid de octimestri censendum, atq; statuendum. Reliquum jam est ut de cætero pariendi tempore, pauca quædam dicamus. Nonimestris Partus omnium maxime vitalis & legitimus est, quippe qui naturæ familiaris admodum est, ut Experientia testatur, & medium extremorum obtinet. De decimestri multa, de natura pueri, & septimestri partu scripsit Hippocrates, estq; in vitalis & legitimi numero. Testatur id etiam Virgilius:

*Matri longa decem tulerunt fastidia menses.*

Plautus in Cistellaria his verbis:

*Tum illa quam compresserat,*

*Decimo post mense exacto, hic peperit filiam.*

Menander Poëta vetustior:

*γυνὴν κατὰ δέκα μῆνας,* id est:

*Mulier decimestris parit.*

Cæcilius: *{ In solet nē mulier decimo mense parere? }*

*{ Pol nono, etiam septimo, atq; octavo. }*

Un-



Undecimestris autem an edatur, inter doctos disputari video. Hippocrates, libro de natura pueri, decimū mensem spatium statuit gestationis longissimū, sic inquit: *ἐν δέκα μηνὶ γίνεταὶ ταῦτα τὸ μακρότατον, in decem mensib⁹ quod longissimum est, nascitur foetus.* Quæ autem undecimo se parere putant in numero dierum & conceptionis tempore deceptæ sunt. Nam interdum à flatu distenditur uterus, & se concepisse opinantur; interdum etiam à suppressis mensibus intumescit, & à suppressionis die, concepti feminis diem numerant. Deniq; Ulpianus, post decimum mensem natum infantem, ad legitimam hæreditatem pervenire, legibus cavet. Sed cum hæc ita sint, quid est quod undecimum quoq; mensem, libro de septimestri Partu, admittit. Itane sibi adversus Hippocrates? An fortè mentitus est Gellius, qui ipsum nec fallere, nec falli posse ait? minime gentium. Ita conciliabimus Hippocratis discrepantem sententiam: Si, quæ undecimo parit, primis tantum undecimi mensis diebus pariat, Partus est legitimus. Id ipsum autem Hippocratem voluisse, patet ex libro de octimestri partu, ubi mulieres quasdam undecimum mensem attingere scribit. Sic etiam intelligi debet, quod Gellius scribit, foeminam bonis, atq; honestis moribus, non ambigua pudicitia in undecimo mense post mariti mortem peperisse: factumq; esse negotium propter rationem temporis, quasi marito mortuo, postea concepisset: quoniam Decemviri in decimo mense gigni hominem, nō in undecimo scripserunt. Sed  
divum

divum Hadrianum causa cognita, de crevisse in undecimo quoq; mense partum edi posse: idque ipsum ejus rei decretum nos legimus. In Satyra quoq; quadam, quæ testamentum inscribitur, verba hæc leguntur: si quis mihi filius unus, pluresve in decem mensibus gignuntur; ij si fuerint ὄνοι λύρας, exhæredes sunt. Quod si quis undecimo mense, κατ' Ἀριστέλην natus, esto. Sed quid nam de duodecimo occurrit? Apud Homerum Neptunus Nympham sic affatus:

χαῖρε νῦν Φιλότῃ, δειπλομένε δ' ἐννιαυτῷ,  
 Τέξεις ἀγλαὰ τέκν', ἐπεὶ ἔκ' ἀποφώλιοι εὔναϊ,  
 Ἀθανάτων.

Id est:

*Gaude hoc complexu. Nam cum se volverit annus,  
 Formosum puerum paries, haut irrita Divum  
 Connubia.*

Et quid legimus apud Plinium libro septimo, capite 5? Massurius autor est L. Papyrium prætorem secundo hærede lege agente bonorum possessionem contra eum dedisse, cum mater partum tredecim mensibus diceret tulisse. Ergo & decimus tertius mensis locum inter pariendi tempora habere videtur. At cur hæc adeo admiramini, cum Avicennas partum quatuordecim mensium vidisse se testetur. Sed hæc rarissima sunt. Tandem igitur aliquando concludamus, septimum mensem primum esse pariendi tempus, nonum & decimum intermedium, undecimum autem ultimum & postremum. Quid autem  
 causæ

causæ sit cur ultra decimum ac undecimum, mulieres foetum haut gestent, nobis dictu difficile non est. Etenim illi alimentum deficit, cum, quia maxima sanguinis copia ad mammas fluit, generandi lactis gratia, tum, quia dulci & puro sanguine embryon alitur, quem mater amplius suppeditare nequit.

## CAPUT XI.

### *Quæ recta mensium ac dierum supputatio.*

**P**ARTUS tempora enumerasse & exposuisse videbor, nondum tamen recte quis illa intellexerit nisi menses, diesque, quibus foetus gestatur, recte cum Medicis supputare noverit. Labyrinthus hic est multis diverticulis, quem nisi cauti ingressi fuerimus, vix vixque exitus nobis patebit. Necessarium itaque erit, & maximopere utile, mensium, decadum, hebdomadam & dierum Hippocraticorum naturam, cognitam perspectamque habere. Mensis apud Astrologos alius solaris est, alius lunaris, est & communis Calendarij Juliani. Mensis lunaris is dicitur, quo Sol triginta Zodiaci gradus percurrit, estque perpetuo triginta dierum. Mensis lunaris apud Galenum duplex est, progressionis scilicet & appationis. Progressionis mensis dicitur tempus, quod inter unum Lunæ cum Sole coitum ad alterum usque intercedit, estque viginti novem dierum cum dimidio. Mensis apparitionis est viginti septem dierum, quia tribus diebus, quibus cum sole luna conjungitur, lumen non concipitur. Mensis communis & calendarij, non semper pari dierum numero constat

E

stat

stat, utpote Januarius triginta & uno. Februarius viginti octo. Ex his autem, quis mensis sit Hippocraticus, incertum adhuc est. Sunt enim, qui lunarem mensem, eumque progressionis tantum agnoscunt in partus supputatione, idque ipsius Hippocratis sententia comprobant, quæ hæc est: *Menses duo, unde sexaginta diebus constant, & menses quinque, dies centum quadraginta septem cum dimidio absolvunt.* At quinquies viginti novem, centum quadraginta quinque constituunt, quibus si duos, & dimidium dies addideris, centum & quadraginta septem evadunt. Quare quilibet mensis viginti novem diebus cum dimidio constabit. Galenus ut in diebus Criticis, ita & in partu lunares tantum agnovit. Verum quid ad isthæc dicamus, non deficit nobis. Supputatio dierum, qui septimestrem complent, ideo variat, quando quidem septimi mensis maxima est latitudo, quod innuere voluit libro *περὶ τριμήνου*, inquit, *γίνονται δὲ ἐν τῆσιν καὶ πλεον, καὶ ἐλάσσων, καὶ ὅλον, καὶ κατὰ μέρος,* id est, *gignuntur in his mensibus, & plures, & pauciores, secundum totum, & secundum partes,* id est, in mensis parte, & in mense completo gignuntur. Idcirco nos contra, Hippocraticos menses solares esse, & triginta dierum arbitramur, idque ex ipsius Hippocratis logismo ratum facimus: Libello *περὶ δέχων* ita ait: Septimestris partus tres habet denarios, sive decadas hebdomadum, in unaquaque decade septuaginta sunt dies, tres verò hebdomadum decades ex toto, sunt ducenti & decem dies. Quare si septimestris partus est ducentorum, & decem dierum, luce meri-  
dia-

diana clarius est mensē Hippocraticum esse solarem, quia septies triginta, ducentos & decem dies conficiunt. Præterea, eodem libro, novem mensibus, & decem diebus perfectum edi partum scribit. At novies triginta, ducentos, & septuaginta pariunt, quibus si decem addideris, ducentos & octoginta dies habebis. Item libello de alimento, partum ducentorum & quadraginta dierum, quem omnes octimestrem interpretantur, esse, & non esse vult. Ducenti autem quadraginta dies octo menses solares efficiunt. Postremo supputationem mensium in gestatione partus per menses solares triginta dierum fieri debere, apertissimo libro de octimestri partu docet. Novilunium, inquit, dies unus est, & mensis pars tricesima. Duo dies mensis, decimam quintam partem efficiunt, ut tres dies decimam. Sunt ergo menses partus solares potius, quam lunares, ut ex hisce videre licet. Quod ad decadas & septimanas attinet, res aperta est. Quælibet enim decas est septuaginta dierum, septimana vero septem. Atq; ita ex his spinosis mensium & dierum senticetis evadimus.

## CAPUT XII.

### PARTUS CAUSÆ.

**M**EDICORUM princeps Hippocrates, vir ille ad ægrotorum salutem cœlo missus, *ἔθεν ἀνευ φύσεως γίνεται*, libro de aëre, locis & aquis docuit, quippe non nesciebat, certas constitutasq; naturæ leges esse, contra

quam Pyrrhonij, qui incerta ac fortuita omnia esse, nec quicquam sciri certò posse mentis infania perciti, impudenti ore proferebant. Illius igitur literarum monumentis firmiter inhærentes, nec vel latum ab ijs unguem discedentes, etiamsi totius Pyrrhonis scholæ inconsideratæ voces, aures nostras circumsonarent, partus causas omnes inquiremus. Partus cum actio sit, tum foetus, tum uteri, uterque etiam causas illius, quæ animali quoque cum homine communes sunt, præbebit. Alteram eleganter Hippocrates, ut omnia, his verbis expressit:

ὁκόταν αὐξηθῆ τὸ παιδίον ἔκ ἐπι δύναται ἡ μήτηρ τροφὴν παρέχειν δεκέουσαν. ζητέον ἐν πλείω τροφὴν τῆς παρεύσης τὸ ἔμβρυον, ἀχαρίζον ῥήγνυσι τὰς ὑμένας, καὶ λυθὲν τὰ δεσμῶν χωρεῖ ὁμῶς ἔξω, id est, *Cum grandior auctiorq; puel-*

*lus evaserit, sufficiens & idoneum alimentum exhibere non potest mater. Itaque uberius queritans alimentum, calcitrando membranas disrumpit, & ita vinculis solutus foras prodit.*

Alimenti igitur defectus prima partus causa est. Alteram hanc damus: Uterus scilicet, cum definitos, atque conscriptos sibi terminos habeat, ultra quos extendi sine ruptionis periculo nequeat, foetus autem indies, magis magisque accrescat, ut illum molestum jam ceu sarcinam deponat. Uteri itaque angustia partus causa altera erit. Quod verò homo, toto anno, & incerto gignatur spacio, cum cæteris tamen animantibus statutum & pariendi, & partus gerendi tempus sit, eam causam putamus, quod omnibus noctium ac dierum, omniumque anni partium horis in Venereos ruatur amplexus, animalia  
vero

vero statuta coeundi tempora observent. Præterea non parum huc facit, quod solus homo ciborum varietate delectetur, animalia verò simplici victu contenta sint. Ille post concepta etiam semina Veneris sacra peragit, hæc verò gravida facta, marem non admittunt. Accedit, quod seminis natura quoque variet, quoddam enim præstantius, quare & citius foetus formam imprimi sibi patitur; quoddam vero vilius, & ad generandum ineptius, ergo tardius quoq; movetur. Postremo singularem etiam naturæ providentiam in conservanda hominis specie adponamus, gratia cujus etiam mirabile hoc opus ab illa excogitatum & institutum est. Atq; hæc de partus causis pleniora & planiora, quæ supra extremis quod ajunt digitis tantum attingebamus.

### CAPUT XIII.

#### *Quæ Partum difficilem reddunt.*

**M**ULIER inter omnia animalia difficillimum experitur Partum, voluit namq; æterna sapientia DEUS, ut tanti sceleris, in Paradiso commissi, pœnas daret gravissimas, quemadmodum hoc apud Divinum Moisen libro Geneleos legere est. At verò isthæc in omnes immissa mulieres calamitas nondum sufficit; sed multæ insuper aliæ causæ accedunt, quæ illum longè reddunt difficiliorem. Facit huc non parum calida, frigidave cœli constitutio, quippe quæ vires gravidæ, ut illa, dissolvit, aut partes obscœnas huic rei dicatas, ut hæc,

comprimit, atque condensat. Tum etiam animi pathemata, veluti sunt, ira, verecundia, timor, mœstitia, vehementer huic actui officiunt, eumq; impediunt. Deniq; inconueniens parturientis situs nonnihil quoq; incommodat. Sed quid hæc recenseo, quæ licet satis negotij facessere possint, leviora tamen putanda, cum corrigere illa facile sit, atque in nostra sita potestate, graviora sane sunt quæ sequuntur. Non raro enim evenit, mulierem adeo imbecillam esse, vt se ipsam in enixu adjutare nequeat. Interdum anhelosa est, vt spiritum cohibere non valeat. Sæpe numero accedunt vigilandi impotentia, doloris privatio, insensibilitas, mansuetudo, nimia pinguedo, obesitas omenti grandis, vel etiam siccitas nimia. Quid dicam de exigua vulva, aut tumore in locis genitalibus, aut de annata ipsis carne, aut curva cervice, aut vesicæ calculo, aut tumentibus admodum hæmorrhoidibus, aut congesta excrementorum copia, aut colli longitudine, aut ossium pubis firmiori connexionem, quæ omnia supra quam cuiquam credibile est, partum reddunt difficilem. Quinetiam foetus inusitatae magnitudinis, aut exiguus nimis, matri vehementem adfert dolorem. Ille enim omnia perumpit, hic verò præ imbecillitate vincula, quibus annexus, non disrumpit. Idem contingit si foetus vel mortuus, vel monstrosus, vel infirmis. Denique membranæ, quibus involutus latitat, quoque in causa sunt. Nam vel crassiores reperiuntur quam decet, unde disrumpi à foetu nequeunt: vel tenuiores



nuiiores quam par, unde facile dilacerantur, & tum omnis effluit humiditas, quæ ad partum non minimum poterat. Vasa etiam umbilicalia gyri in modum collo circumvolvuntur, quod plerumque partui quidem obstaculo est, non tamen foetui infelicitatis præfagium præbet, quod commentum aniculis, ac stolidis quibusdam mulierculis placet.

## CAPUT XIV.

### *Quæ Partum facilem reddunt.*

**Q**UANTUM autem DEUS optimus maximus graviter foemineum sexum propter ejus inobedientiam, curiositatem, & qua in decipiendo viro usa est, astutiam, offensus fuit; inexhausta tamen & infinita ejus est bonitas, ob quam ita omni ope & auxilio destitutam gravidam mulierculam derelinquere haut potuit; sed pene multa remediorum genera ad partum faciliorem reddendum apta nata, utenda concessit. Quibus licet omnimode omnis difficultas haut tollatur; fit tamen longè facilior, si illa rectè adhibeantur. Nos ex tam abundanti medicamentorū penu, quod benignissimus DEUS largitus est, paucissima tantum depromemus, huic negotio inservientia. Quæ igitur sollicita est timoremq; animo concipit, propter difficultatem, eamque ceu prævidet; vivat illa viginti circa partum dies in  
con-

conclavi, ubi aëre valde temperato, nec calido nimis, nec frigido frui possit. Emollientibus utatur cibus, utpote pinguium gallinarum jusculis, oleribus butyro paratis, ovis sorbilibus, cerevisia saccharo & butyro permista. Et ut verbo dicam, sit cibus facilis concoctionis, & boni nutrimenti. Instante jam partu, pauco admodum contenta sit alimento, ne calor, ad coquendum magis cibum, quam partum juvandum trahatur. In exercitio medium teneat, somnium vigiliam superet, & animi affectus vitentur. Sæpius etiam cum viro ante partum congregiatur, dilatantur enim Venereo actu membra genitalia. In situ parturientis plurimum positum est, qua in re providæ obstetrici obtemperent. Consolentur etiam eam, & animum addant, ut amotu omni metu, fortem se ad opus accingat. Quod si pudenda constrictiora & angustiora videantur, quam ut foetui exitum præbeant, idq; ob externum frigus, incessio, aut fomentatio fiat sequenti ex decocto:

℞ Foliorum malvæ,  
Althæana Manip. i.

Seminis lini unc. i.

Aristolochiæ libram i.

Coquantur in aqua, & oleo camomillæ.

Post fotum inungantur hoc linimento:

℞ Mucilaginis fœnugræci, & seminis lini extract.  
cum vino albo ana unc. i.

Aristolochiæ longæ & rotundæ an. Drach. i.

Styra-

Styracis liquidæ unc. i.

Propoleos unc. ii.

Olei amygdalarum dulcium,

Liliorum alborum an. unc. ii.

Poterit etiam emplastrum ventri apponi ex succo rutæ cum unc. i. pulpæ colocynthidis.

Intrinsecus sumat cinamomi unc. semis.

Croci,

Corticis cassiæ fistulæ an. Drach. i.

Sabinæ,

Capillorum Veneris,

Diptamni,

Baccarum lauri an. scrup. ii.

Ossis de corde cervi Drach. semis.

Quæ in pulverem redacta misceantur, sumat de hoc Drach. i. in vino, aut ovo sorbili.

Fallopious officinarum boracem commendat, est enim ex ijs, quæ proprietate partum accelerant, poterit autem ejus in vino uncia quarta pars sumi. Sunt multa quæ iisdem viribus, occulta scilicet qualitate id præstant, quæ apud practicos quærantur, nos partus Theoriam potissimum hic tractare voluimus. Plurimum omnium in eo positum est, ut fidelem & diligentem obstetricem grvida accersat, vitetur cane pejus & angue, quæ temulenta, & temeraria, quod vel Terentiana illa Mysis scivit, cum importunitatē ejuscemodi irridet. Si nihil omnino hisce profici possit, ad ferrum demum currendum, & cæsareus


F

partus

partus tentandus est, quem Ægyneta, & inter recentiores, doctissimus Rodericus à Castro, familiaris noster, libro quarto de morbis mulierum, capite tertio eleganter & copiose descripsit. Atq; sic huic tractatui finem imponimus, plurima certè obscura, uti speramus, in claram lucem produxim⁹. Tuum erit, Candide lector, nobis favere, & de his bene sentire. Quod sicubi humani quidpiam contigerit, cogites velim me hominem esse, & eadem, qua omnes, conditione natum,

Vale.

FINIS.





IN DOCTISSIMUM DE PARTU  
TRACTATUM

VIRI Excellentissimi,

Dn. JOHANNIS ELERI  
Philosophiæ & Medic. Doct.

Illustriss. inferioris Saxoniae Ducis Archiatri,  
Nec non inclytæ Lunæburg. Reip.  
Physici.

**D**ædala natura conamina, mystica facta,  
Et tam mirandum parturientis opus,  
Publicat, & Physices Mysteria vulgat ELERUS,  
Remq; omnem morsis pensit at unguiculis.  
Tale opus eximium, ipsâ obstetricante Minerva,  
Dum parit ingenij fertilitate sui.  
Ipse sibi laudem parit & durabile nomen;  
Nomen in Aonio Pæonioq; choro.

F.

GUILIELMUS SCHMIDT.

I I.

**A**Dversis Medicina doces adversa mederi,  
Rebus in adversis pol Medicina vales!  
Nos metuenda fames, nos diri atrocias Martis,  
Nos arcus Deli, mors malè trina petit.

Tu

Tu nobis Medicina offers contraria morti  
Pharmaca multiplici, pharmaca nota parum,  
Vim mortis contra nullis medicamina terris  
Crescere, communis fama, at inanis habet.  
Flora negat, Pomona negat, negat ipse Priapus  
Tale suo germen crescere posse solo.  
At Veneris norunt campi. Vis noscere? PARTUS  
Viribus indomitæ novit obesse necis.  
Deme neci commune malum Pater optime, PARTU  
Plus surgent homines, quàm (puto) morte cadunt.  
Ergo dum nobis intentant omnia mortem,  
De PARTU egregium vulgat ELERUS opus.

*s. ANNO 1626. II. Julij*

*M. TILEMAN. OLEARIUS.*



WMA

MC




11111582

ULB Halle


3

005 136 598










B.I.G.

Farbkarte #13

JOHANNIS ELERI <sup>N. 1.</sup>  
65 ULYSSEI, PHILOSOPHI  
AC MEDICI  
Libellus

De  
PARTU.



LUNÆBURGI  
JOHANNIS & HENRICI Sternens  
Typis excusus.

ANNO MDCXXVI.

Vhm 1582

